



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispvatio CXXVI. De Merito.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

DISPUTATIO CXXVI.

De Merito.



HOC velut appendix quadam gratia in presenti tractandum, de quo proinde primâ secundâ, quæst. 114. per decem articulos agit Doctor Angelicus: est siquidem meritum effectus gratia in genere causæ efficientis, utpote ad quod supra diximus concurrere tam Gratiam excitantem, quàm adjuvantem seu cooperantem. Etsi verò pleraque, ad hanc materiam spectantia, in tractatu de Incarnatione tradi soleant, ubi ut ex aliis materiis, ita & ex hac occasione meritorum Christi multa desumuntur, hic tamen, ut in proprio ea tractandi loco, non sunt omittenda.

SECTIO PRIMA.

Sectariorum error circa meritum.

I.
Negant Salaris meriti, & bonorum operum necessitatem.



DOMA est apud nostri temporis sectarios receptissimum, facem ut in aliis plerisque, ita & in hoc præferente Luthero, nullum dari meritum, nec bona opera quidquam ad salutis, æternæque beatitudinis adeptionem conferre, sed ad hoc solam Fidem conducere, abundeque sufficere, etiamsi non solum nulla sint opera bona, sed insuper quantumcunque gravibus quis atrocibusque sit criminibus onustus.

II.
Ex ipsi Lutheri verbis ostenditur, quantum in eo fuerit bonorum operum cetera.

Ne quis verò existimet, me hoc asserendo injuriam facere Luthero, hic ejus verba subiungam, ex quibus quantum in hoc homine fuerit bonorum operum contemptus, luce clariùs constabit. Audite ergo quid in sermone de novo testamento, seu de missa dicat hic hæresiarca: *Caveamus, inquit, à peccatis, sed multò magis à legibus, & operibus bonis, tantum attendamus Dei promissionem, & Fidem.* In sermone etiam, *Sic Deus dilexit mundum, ita loquitur: Ego, inquit, dico tibi, quia angusta est via, oportet te fieri tenuem, si vis per eam venire.* Ceterum qui operibus onerati sunt, sicut concubilibus onustos videmus Iacobi peregrinos, ii non poterunt penetrare. Et postea: *si veneris cum magnis saccis operum plenis, deponere oportebit, alioqui non poteris penetrare.* Hæc ille, ridiculè magis, an impiè nescio: Christus enim ad bona opera exercenda, cælumque per ea rapiendum crebrò hortatur, Christum secuti idem faciunt Apostoli: tantundem, jam inde à nascente Ecclesiâ præstant Patres, sapientiâ & sanctitate conspicui: id verò negare audet hic homuncio, bonorumque operum saccos ait deponendos: quidni ergo, idem de sacco suo Fidei dixerit: haud dubiè tanta sarcina & moles, ejus per angustam cœli portam introitum impedivit.

Christo, Apostoli, Sancti, omnibus adversatur Lutherus.

Totum ergo Fidei, operibus nihil tribuendum censet Lutherus: ad quam proinde extollendam, operaque extenuanda, malis artibus pudendum in modum usus est; locum enim illum ad Romanos 3. v. 28. è latino sermone in vernaculum transferens, ubi dicit Apostolus, *Arbitramur justificari hominem per Fidem, sine operibus legis:* vafre addidit particulam *solum*, ut ementitâ Apostoli auctoritate, solâ Fide sine operibus hominem justificari ostenderet. Catholici hac ejus fraude ac scelere deprehensio, rem tam indignam agrè ut par erat ferentes, apud Lutheri sectatores de tam iniquo magistri sui agendi modo graviter conquesti sunt, eum ut falsarium, divinique verbi depravatorem palam arguentes. Cum res ita jam apertè constaret, ut nullâ arte celari posset, ex sequacibus quidam per literas Lutherum de hac Catholicorum expoſtulatione certior fecit, & quàm graviter de eo hoc nomine conquirerentur. Hoc audito mirum in modum excanduit Martinus, eique in hæc verba respondit: *Si Papiſta tuus, inquit, garrive pergat, confestim respondeo: Doctor Martinus Lutherus vult illud sic habere, aitque Papiſtam & asinum esse unum; sic volo, sic jubeo, stet pro ratione voluntas. Nolumus Pontificiorum esse discipuli, sed magistri, ac judices. Lutherus vult ita rem esse, dicitque se doctorem esse supra omnes doctores totius Papatuſ.* En, ut hominis arrogantiam & impudentiam omittam, quantum Fidei tribuat hic Apostata, qui ut illam solam justificare defendat, operaque bona ac merita contemnat, divinas etiam literas per summum scelus corrumpit.

III.
Audax, & impium Lutheri factus.

Lutherus ut falsarius, & divini verbi corruptor à Catholicis accusatus.

Arrogans Lutheri dilium.

Surtius anno 1550. propt. h. nem.

IV.
Indubitatum est dari meritum hominis apud Deum.

Tanquam certum nihilominus tenendum, dari meritum hominis apud Deum; nihil enim in Scripturâ frequentius, quàm benè operantibus dari mercedem, præmium &c. sic Matthæi 20. v. 8. dicitur, *Voca operarios, & redde illis mercedem, 1. ad Corinthios 3. v. 8. Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem: Proverbiorum 11. v. 18. Seminanti justitiam merces fidelis. Tandem Gen. 15. v. 1. ait Deus Abrahæ, Ego protector tuus sum,*

Dari huiusmodi meriti variis probatur.

sum, & merces tua magna nimis, & id genus alia. Quare Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6. definit verè promereri justos vitam æternam. Videatur Bellarminus lib. 5. de justificatione, ubi hoc fuisse contra sectarios ostendit. Hæc pro instituto sufficiunt. Imò Sanctus Thomas hic art. 3. hoc meritum ait esse meritum de condigno, quem hac in parte sequuntur omnes Theologi, si Durandum exceperis, quamvis fortasse solum voce tenus id neget, in quo tamen à temeritate excusari non posse videtur, ut notat Tannerus hic d. 6. q. 6. dub. 1. num. 7. cum receptissimo loquendi modo Theologorum in re gravi, sine causâ contradicat.

V. Reipsâ negant aliqui opera nostra esse meritoria de condigno.

Ab hac Durandi sententiâ putant nonnulli parum differre Patrem Coninck, qui libro de Fide, Disp. 8. dub. 3. etsi opera nostra vocet condigna, negat tamen illa, etiam ut dignificata per gratiam, esse æqualis valoris cum præmio, sed ideo solum ait censenda esse condigna, quia Deus ea in ordine ad illud præmium acceptat. Hanc sententiam refellam infra, sect. tertiâ.

SECTIO SECUNDA.

Discutiuntur quedam circa naturam meriti.

I. Vtrum impetratio dici possit meritorium.

PRIMUM est, quo modo impetratio distinguatur à merito. Ad quod notandum impetrationem duobus modis sumi, primò latius, prout impetrare idem est, ac ratione alicujus operis, vel obsequii, aliquid ab alio obtinere, quo sensu quodvis opus meritorium vocari potest impetratio, præsertim si solum sit meritorium imperfectè, seu de congruo ut aiunt, impetratio enim, huiusmodi aliquid sonare videtur. Secundò dicitur impetratio, quando quis per unum aliquod peculiare genus operationis, nempe per orationem, seu petitionem aliquid obtinet, & hæc est propria illius vocis acceptio, licet si oratio ipsa sit actus supernaturalis, seu ex gratiâ factus, non minus propriè sit meritoria, quam alii actus supernaturales.

Duobus modis sumitur impetratio.

II. Vt actus sit meritorius, præter laudem exigere aliquo modo debet præmium.

Secundùm est, quid sit meritum: videtur siquidem omnis omnino actus bonus esse meritorius, ipso facto enim, quòd liberè exerceatur, reddit hominem laude dignum. Respondetur omnem quidem actum bonum, eo ipso quòd liberè eliciatur, mereri laudem, actum verò meritorium addere ulterius quòd aliquo modo exigat præmium, vel ita, ut vis ei aliqua inferatur, si præmium negetur, quod contingere videtur in merito de condigno, vel ex quadam decentiâ, ut in merito de congruo: actus verò malus meritorius ille est, quo non solum quis meretur vituperium, sed etiam pœnam, licet usus jam obtinuerit, ut meritum supplicii non vocetur meritum, sed demeritum, vel saltem meritum malum.

An actus malus dici possit meritorius potest.

III. Magis declaratur differentia inter laudabile & meritorium.

Circa differentiam verò laudabilis & meritorii in actu notandum, actum non dici laudabilem respectu particularis alicujus personæ, sive is superior sit, sive inferior, sive æqualis, sed generatim quod laudem à quocunque æquo rerum æstimatore mereatur. Meritum verò respicit peculiarem personam, & pierumque superiorem, vel potentiorē.

IV. Alius aliquis bonus

Deinde, actus non eo modo respicit laudem, quo præmium, ita scilicet ut obligationem laudandi inducat, saltem per se loquendo, sed solum

respicit dignitatem quandam seu proportionem: unde licet opus omne bonum sit laudabile, seu aptum laudari à quocunque, nemo tamen per se loquendo tenetur illud laudare; meritum verò spectat retributionem, & aliquid modo exigat præmium ab eo in cuius commodum sit. Quare non subsistit quod dicunt aliqui, actum scilicet esse meritorium idem esse ac esse laudabilem, sic enim ei satisfieret solâ laude, sine ulteriori præmio, sed præmium illius adæquatam foret laus, quod nemo dicit.

V. Sicut meritum ab impetratione, ita impetratio à merito inveniri potest separatim.

Tertiò advertendum, præter dicta superiùs de impetratione & merito, sicut meritum reperiri potest separatim ab impetratione, ut in iis omnibus operibus meritoriis contingit, quæ non sunt petitio, cum si propriè loquamur, impetrare, ut diximus, idem sit ac precibus obtinere, ita & impetratio inveniri potest separatim à merito; jam enim Christus pro nobis in Cælo oras, juxta illud Apostoli ad Rom. 8. v. 34. ubi de Christo dicit: *Qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*: quod similiter de Beatissimâ Virgine, & aliis Sanctis dicendum omnibus videtur, cum juxta ubique receptam Ecclesiæ consuetudinem, in dies ipsis supplicemus, ut pro nobis Deum orent, qui etiam sine dubio orando impetrant, & tamen secundùm communem omnium sententiâ, jam non merentur: quod de animabus etiam in Purgatorio communiter affirmatur.

Aliquando verò contingit, ut idem actus sit meritum respectu unius rei, & impetratio respectu alterius. Sic cum aliquis ex affectu charitatis à Deo sanitatem, aut aliud huiusmodi, vel sibi vel alteri petit, impetrat frequenter quod postulat, illud tamen de condigno non meretur, gratiam verò & gloriam, vel illarum augmentum per hunc eundem actum meretur, quæ nihilominus non petit. Unde etiam non raro contingit, ut orans non obtineat quod petit, quia Deus id ei videt non expedire, & tamen tunc etiam gratiam & gloriam meretur, cum opus bonum supernaturale eliciat.

VI. Idem actus respectu unius rei esse potest impetratio, respectu alterius meritum.

SECTIO TERTIA.

Vtrum ad meritum requiratur promissio.

INTER condiciones meriti nulla accuratius majorèque contentione discuti solet, quam utrum ad illud requiratur promissio: quæ proinde quaestio hic penitus non est omittenda licet in materia de Incarnatione lector eam fusè videre possit explicatam.

I. Hæc inter præcipuas materias præsentis discussatæ.

Pater Coninck d. 8. de actibus dub. 3. secutus Okamum, Gabrielem, & alios ait, sicut valor monetæ defumitur adæquatè à voluntate principis, ita valorem omnem & condignitatem nostrorum operum haberi ex solâ ordinatione, seu constitutione divinâ, qui illa in ordine ad præmium æternæ vitæ acceptat, ex se verò ea nullam ad hoc habere docet proportionem. Unde & actum purè naturalem aiunt Nominales & Scotus posse, Deo ita volente, fieri condignè meritorium gloriæ; sicut enim non auro vel argento sed & æri & vilioribus etiam rebus valor tribui potest à principe, ita & operibus inquirunt, etiam naturalibus, imò ut aliqui ex iis affirmant, actibus necessarii valor tribui potest à Deo.

II. Existimant aliqui totam operum nostrorum condignitatem ad gloriam provenire ab ordinatione divinâ.

Notandum

SECTIO QUARTA.

Argumenta contententia ad meritum nunquam requiri promissionem.

III. Notandum, meritum duobus modis sumi posse: primo pro merito iustitiæ strictè dictæ, secundò prout solum dicit jus quoddam connaturalitatis respectu præmii, eo modo quo ignis connaturaliter exigit calorem, sol lucem, & cætera. Hoc posito.

IV. Dico primò: merita ad hoc ut primo modo exigant præmium, petunt necessariò promissionem. Hanc Conclusionem latè probavi suprâ Disp. 35. Probatur modo breviter; in humanis namque ubi est propria obligatio iustitiæ strictæ, semper videmus huiusmodi pactum, seu promissionem intercedere. Unde juxta sanctum Thomam iustitia propria in conceptu suo dicit, *Tantum pro tanto, pacto firmatum*; ergo similiter ad hoc ut in Deo sit ejusmodi obligatio iustitiæ, requiritur pactum.

V. Dico secundò: ad latiore tamen illum conceptum iustitiæ, quæ reperitur in rebus etiam inanimatis respectu Dei, non requiritur pactum vel promissio, sed merita ex se, & secluso omni pacto, connaturaliter poscunt præmium. Probatur: in primis enim nulla est repugnantia, ut sicut dantur res multæ naturales, quæ connaturaliter poscunt alias, ita etiam ut dentur huiusmodi res supernaturales: nec ulla apparet implicancia ut sicut aqua petit frigus, ignis calorem, &c. ita cur non possit forma aliqua supernaturalis petere gloriam, seu præmium aliquod supernaturale. Confirmatur: Concilium namque Tridentinum sess. 6. cap. 6. ait, ut opus iusti sit meritorium, nil aliud requiri, quàm ut fiat ex gratiâ Dei, ergo juxta Concilium ad rationem meriti, aliquâ ratione sumpti, non requiritur promissio.

VI. Secundò probatur: peccatum seclusâ omni comminatione, & ordinatione extrinsecâ, ex se & suis prædicatis intrinsicis est dignum penâ, idque quia Deo displicet, ergo & opus bonum ex naturâ suâ erit dignum præmio, illudque meretur, cum econtrâ Deo placeat. Confirmatur: gratia reddit homines dignos cælo, seu vitâ æternâ, nam juxta Scripturam variis locis facit eos amicos Dei, & Filios ejus adoptivos, consortes divinæ naturæ, templa Spiritus sancti, & alia huiusmodi. Unde ut diximus, & 1. Joannis 3. vocatur semen gloriæ, seu quasi in radice illam connaturaliter exigens, & consequenter opera bona in illâ fundata eandem similiter exigent, cum informatâ gratiâ naturam illius induant. Quare Apostolus ad Romanos 8. ait, bona opera Filii, seu illius qui est in gratiam, nempe patientiam, & similes alias operationes, facere hæredes Dei, & cohæredes Christi.

VII. Dico tamen tertio: in quibusdam rebus sine pacto vel promissione opus aut res exhibitâ nil meretur; posito verò pacto seu promissione meretur, etiam ex iustitia. Prima pars probatur: si enim quis sponte, & nullo præcedente pacto, in alterius vineâ laboret, ratione operæ hoc modo locatæ nil potest ab alio exigere: ob idem tamen opus, si præcessisset pactum, merces illi homini debita fuisset. Idem est in quotidianis commutationibus; si enim quis alteri sine pacto vel promissione det pecuniam, non potest ab eo exigere equum, vel aliud huiusmodi, sic tamen si eandem pecuniam det præcedente pacto. Tandem hoc in præmiis cernitur, quæ currentibus in stadio, vel in Palæstrâ certantibus, à principe aut Republicâ proponuntur, quæ ex iustitiâ censentur deberi vincientibus, posita illâ propositione seu promissione: si tamen eodem inter se modo certarent, nullo proposito vel promisso præmio, nihil ex iustitia mererentur. Et per hæc etiam patet secunda pars Conclusionis.

DICES: est lumine naturæ notum bonis operibus deberi præmium, cum lumine naturæ cognosci possit, Deum esse, & remuneratorem esse tam bonorum operum quàm malorum. Respondetur primò, ad hoc sufficere quod opera bona petant promissionem, seu ordinationem ulteriorem Dei ad præmium. Secundò dico, istud solum probare secundam nostram Conclusionem, quòd scilicet merita connaturaliter poscant præmium.

Dices secundò affirmare Apostolum ad Romanos 8. v. 18. non esse condignas passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Respondetur primò, loqui Apostolum de passionibus hæc merè naturaliter sumptis. Secundò dici potest solum velle Apostolum non esse tantum acerbitatis in his passionibus, quantum delectationis in gloria illa ac præmio cælesti: unde tribulatio præsens & labor subinde est momentaneus tantum, seu exigui temporis, præmium verò æternum. Tertio hoc argumentum facit potius contra adversarios, & probat ad meritum requiri promissionem, ut contingit currentibus in stadio, aut in Palæstra concertantibus.

Dices tertio cum P. Coninck: Princeps vel Republica per impositionem extrinsecam potest efficere ut moneta habeat valorem, quem ex se non habet, sicque extrinsecè ari conferunt valorem in ordine ad commutationes, ita ut æquivalcat multis aliis rebus, & pro iis in dies commutetur, ergo licet opera nostra ex se non habeant valorem & condignitatem ad præmium, potest tamen Deus valorem iis per extrinsecam acceptationem conferre.

Respondetur primò: in istiusmodi rerum humanarum commutationibus præcipue spectari utilitatem: unde cum possit princeps monetam hoc modo extrinsecè elevatam reddere utilem in ordine ad varias commutationes, nil mirum si possit ei conferre valorem aliquem extrinsecum, maxime cum hic valor ipsi etiam principi utilis esse queat. At verò Deus, ex rebus vel actionibus hominum nullam percipit utilitatem, quare in collatione præmii spectat condignitatem, & valorem operum secundum se; unde si daret gloriam cælestem merè ob opus aliquod naturale & improporcionatum, censeretur illam dare gratis, sicut si princeps aliquis creatus adoptaret famulum in filium, merè quia bene curavit ejus equum, aut quid simile. Imò hoc in omnibus etiam commutationibus naturalibus spectatur; si enim quis ob unum obolum det equum, omnes eum censent gratis dari, non ob condignitatem aliquam ex parte pretii repletam.

Secundò dici potest, sion conferri à principe propriè loquendo ullum valorem monetæ, vel intrinsecum vel extrinsecum, sed ex justa occasione assumi eam merè ut conditionem in ordine ad commutationes, & contractus quotidianos; plurimum namque conducit ad utilitatem Reipublicæ, ut sit res aliqua una communis, pro qua aliæ omnes universim commutentur. Per hæc ruit fundamentum P. Coninck, qui sine dubio non satis dignè hac in parte loquitur de merito.

SECTIO

I. Non nego minus merita aliqua connaturaliter petere præmium.

II. Quo sensu dicat Apostolus, Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, &c.

III. Dices: sicut Princeps monetam, ita Deus bonis operibus potest valorem conferre.

IV. Disparitas inter principem creatum, valorem monetæ donatæ, & Dei, quòd princeps utilitatem spectat, Deus operis in se condignitatem.

V. Dicit etiam potest principem creatum nullum valorem monetæ propriè conferre.

Gratia reddit homines dignos cælo, ergo & opera in eâ fundata.

In quibusdâ rebus, ut opus exigat præmium, requiritur pactum, seu promissio.

Res hæc variis exemplis ostenditur.

SECTIO QUINTA.

Vtrum ad meritum requiratur status via.

I. Meritum, connaturaliter loquendo requiritur statum via.

PRIMA Conclusio: ad meritum, connaturaliter saltem, requiritur status via. Ratio est, quia connaturale est creaturae rationali, ut aliquando constituitur in termino tanquam in centro, unde sicut rebus aliis, quando sunt in termino seu centro non debetur motus physicus, sed quies, ita nec naturae rationali debetur motus moralis, seu intentionalis. Quare Scriptura ubique insinuat, post hanc vitam nullum esse meritum: sic Joan. 9. v. 4. dicit Christus: Venit nox, quando nemo potest operari: item ad Galatas 6. v. 10. Dum tempus habemus, operemur bonum, & alia huiusmodi, ex quibus aperte sequitur, non nisi in hac vita meritum reperiri.

II. Status tamen via non est ad meritum essentialiter requisitus.

Secunda Conclusio: status tamen viae non est de essentiali conceptu meriti. Unde existimo posse Sanctos in Caelo divinitus, vel sibi vel aliis mereri, si Deus ipsis adhuc gloriae augmentum tanquam praemium proponeret: ita Suarez lib. 12. de gratia, cap. 15. Tannerus hic, d. 6. q. 6. dub. 2. num. 43. & alii ex recentioribus: quam etiam conclusionem in materia de Incarnatione late probavi.

III. In actu meritorio duo repeririuntur, dignitas & exigentia.

Ad probationem notandum, duo in actibus meritorii reperiri, dignitatem scilicet quandam seu praestantiam, & exigentiam: hoc secundum, ut in prima conclusione diximus, cessat, cum ubi natura rationalis est in termino, nec ulteriorem motum ad alium terminum, nec in eodem exigit, & in hoc ut dixi, imitatur res alias, nec ratione nec etiam vita praeditas, quae quantumvis habeant sphaeram divisibilem, ut in sphaera ignis exempli gratia contingit, adhuc si ad unam illius partem pertigerit ignis, non petit ascendere ulterius, sed in quavis parte sphaerae quiescit: sic ubi semel natura rationalis in gradu etiam minimo gloriae tanquam in infima parte suae sphaerae constituta est, sibi connaturaliter quiescit, nec ad altiorem gradum gloriae ascensum postulat.

Post hanc vitam in opere bono manet alius dignitas, cessat exigentia.

IV. Oportet autem actibus bonis in patria eandem manere dignitatem.

Primum vero, dignitas scilicet & praestantia actuum etiamnum manet, utpote iisdem intrinseca, & ipsa eorum entitas: unde actus aliquis charitatis erga proximum in Patria liberè elicitus, actus etiam submissionis erga Deum, & similes non sunt minus praestantes quam earundem virtutum actus elicitus in via: imò verisimiliter sunt praestantiores. Quidni ergo, cum ad meritum universim non requiratur naturalis exigentia praemii in rebus, ut ostendimus sectione tertia, quidni inquam poterit Deus huiusmodi operibus proponere gradum aliquem novum gloriae, quod si faceret, sanè nulla ratio est cur non aequè illum mereatur de condigno, ac quando in humanis carmen vel orationem componentibus praemium proponitur, quod, qui optime hoc munus praestat, verè meretur; cum tamen illud non fuisset meritum, nisi gratis praemium fuisset propositum. Quare etiam Vasquez hic, d. 216. cap. 4. & Maratus d. 14. sect. 1. licet nobis in hoc contrariè, fatentur nihilominus posse beatos sibi aliquid mereri spectans ad beatitudinem accidentalem: imò dum pro nobis jam in Caelo orant, videntur nobis id quod impetrant mereri saltem de congruo. Plura hac de re sectione 12. num. 8. & nono.

Si Deus Sanctis in caelo novum gradum gloriae proponeret, non est cur eum mereri non possent.

Quaes: quando censenda sit finiri via? Respondetur: quando profertur vel saltem proferri debuit sententia finalis, quod in hominibus plerumque in fine praesentis vitae contingit. Unde Sancti in Caelo, animae in Purgatorio, illi etiam qui moriuntur, ad vitam tamen mortalem paulò post resuscitati, non sunt in statu merendi, dum anima est à corpore separata. Enoch etiam & Elias, quavis mortui adhuc non sint, imò tempore Antichristi iterum in mundum reversuri, & gratiam per merita sint aucturi, jam tamen nihil merentur, cum non vivant vità terrestri, vel humano & mortali modo: unde tunc connaturaliter pronuntiari debebat sententia finalis, quando ex hominum conversatione rapiebantur.

V. Quando censendus sit finiri status via.

Enoch etiam & Elias, quavis mortui, necesse est, non tamen sint in statu merendi.

Ratio verò ulterior, quare status viae connaturaliter requiratur ad merendum, esse videtur, tum quia hic est proprius locus certaminis: tum etiam quia quando quis est extra hunc locum, mutatur notabiliter modus operandi, ratione summae securitatis, quae per se loquendo non solet concedi viatoribus: tum denique quia tunc connaturaliter constituitur quis in termino. Fufius hæc quaestio tractabitur in materia de Incarnatione, dum de merito Christi.

VI. Alia ratio cur status viae connaturaliter requiratur ad merendum.

SECTIO SEXTA.

Vtrum ad meritum requiratur status gratiae.

DICENDUM cum communi Theologorum sententiâ, statum gratiae requiri ad meritum de condigno, saltem perfecto. Ratio est: quia ad huiusmodi meritum requiritur proportio quadam, & aequalitas, quae in actibus non dignificatis à gratiâ non reperitur respectu gratiae & gloriae, cum hæc praemia sint in tam alto ordine constituta. Unde in Bullâ Gregorii XIII. damnata est propositio Baii 13. quae sic habet: Pelagii sententia est, opus bonum citra gratiam adoptionis factum, non est regni caelestis meritorium: & 18. ubi ait, sentire cum Pelagio, qui dicunt, esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum Deificum.

I. Ad meritum de condigno perfectum requiritur status gratiae.

Baii propositio 13. & 18. damnata.

Dicendum secundò, gratiam nihilominus per actum aliquem partam, eundem actum non dignificare, tum quia sequeretur quovis instanti intuitum augmentum gratiae ut consideranti patebit: tum quia lumine naturae constare videtur non posse dignificari actum à praemio, intuitu illius dato, sed meritum actus penes illam solummodò dignitatem spectari debere, quam actus & persona habet independenter à suo opere vel praemio, ut semper in humanis constat, estque aptissimum exemplum in rege aliquo, qui praemia militibus decerneret uniuersulque dignitati accomodata, v.g. ut qui primum ducem hostilis exercitus occideret, si esset plebeus fieret nobilis, si nobilis comes, si comes unus ex magnatibus, &c. Petrus gregarius miles ducem illum occidit, non propterea statim eadem operâ fit unus ex magnatibus, sed tantum nobilis, ergo iuxta communem omnium conceptum dignitas personae, in posteriori signo alicujus instantis acquisita, non meretur novum praemium: Alioqui Petrus in hoc casu, ipso facto fieret unus ex magnatibus. Idem ergo suo modo dicendum est de gratia, quae in praemium alicujus operis confertur.

II. Gratia per actum aliquem partam, actum illum non dignificat.

Res hac declaratur exemplo gregarii militis ducem contrarii exercitus occidentis.

Hinc

III.

Hinc solvuntur quæ à nonnullis proponi solent ad probandum gratiam, naturâ consequentem actum aliquem, posse illum in ordine ad novum præmium dignificare: sic enim, inquit, contingit in effectibus physicis, anima siquidem cum specie impressâ materiali caloris, vel intelligibili alterius cujuscunque objecti, eodem cum iis instanti, potest ad actum intellectus vel visionis producendum concurrere, licet species illæ pro signo solum posteriore sint in animâ, utpote quæ materialiter ad speciem impressam, ad intelligibilem verò fortè etiam efficienter concurrunt: sicut ergo anima in hoc casu simul cum specie naturâ posteriore exigit concursum physicum ad visionem, quidni actus cum gratiâ, licet naturâ posteriore, poterit moraliter exigere præmium. Deinde gratia eodem instanti quo educitur è potentia animæ ornat illam & reddit amabilem, ac Deo gratam; ergo & gratia posterior natura actu, vel physicè vel moraliter poterit illum dignificare, & movere Deum ad ei dandum præmium. Ita illi.

IV.

Ad hæc tamen juxta supra dicta Respondeo, disparem in hoc esse rationem de effectibus physicis, & præmio intuitu alicujus actus dando, cum ut ostendimus, lumen naturæ dicitur non posse actum in aliquo instanti dignificari, in ordine ad novum præmium, per ipsum præmium, quod ei tunc confertur. Ratio verò est, quia actus in tantum meretur, in quantum liberè egreditur ab operante; cum ergo pro illo priori naturæ ad præmium, seu novam gratiam intelligitur tota libertas posita, non potest per hanc dignificari ad novam gratiam; in hoc instanti conferendam, sed solum in sequentibus.

V.

Obijcies: plura vel majora peccata antecedentia non reddunt actum malum pejorem, ergo nec major gratia antecedens actum bonum reddit meliorem. Negatur tamen consequentia; gratia siquidem, ut vidimus, est simpliciter necessaria ad meritum, sicut autem se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis; at verò peccatum, seu vilitas personæ non requiritur ad peccandum, cum etiam justii peccent. Licet verò præterea quodvis peccatum mortale, etiam primum mereatur penam æternam, quivis tamen, seu primus actus bonus etiam supernaturalis non meretur de condigno gratiam, aut gloriam; nam ut communis omnium habet sententia, plura ad bonum requiruntur, quam ad malum, unde actus etiam indeliberatus, & pura omisso sufficienti ad peccatum, non tamen ad meritum. Quare secundum omnes, actus attritionis, etiam supernaturalis in peccatore non expellit peccatum, sed ad hoc requiritur contritio, vel amor Dei super omnia, qui tamen actus peccatum ex naturâ suâ non expellunt: quod de plurimis aliis actibus supernaturalibus à fortiori dici posset, cum nihilominus quodvis vel minimum peccatum mortale expellat gratiam.

VI.

Adde probabile esse illum, qui est in peccato mortali, non solum non mereri de condigno gratiam aut gloriam, sed nec alia dona, non supernaturalia tantum, sed neque naturalia, peccatum namque mortale omni hujuscemodi dono hominem reddit planè indignum. De congruo tamen ut supra diximus, peccator mereri potest justificationem.

VII.

Obijcies contra secundam Conclusionem: gratiam quæ actum subsequitur, illum subinde dignificare, quando enim justus jam proximè potens

R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

ad peccandum mortaliter, tentationem vincit per actum supernaturalem, actus ille est meritorius, & auget gratiam in justo illo præexistente, ut omnes fatentur, nihilominus hæc gratia actum istum naturâ subsequitur, cum dependenter ab illo conservetur.

Ad hoc responderi potest non negare nos gratiam, quæ actui quomodocunque est posterior, posse illum dignificare, sed de illâ solum gratiâ hoc negamus, quæ actui datur per modum præmii, hoc enim & nihil aliud ostendit lumen naturæ, ut supra vidimus. Imò in humanis dignitas per diligentiam, & actus bonos conservata auget meritum, quæ tamen per negligentiam in iisdem actibus potuisset amitti. Ratio verò est, gratia siquidem in hoc casu ab actu illo non pendet tanquam præmium, vel merces ei data, & per se, ut aunt sed per accidens, in quantum scilicet impedit peccatum, quo gratia illo instanti destrueretur. Aliam difficultatis hujus solutionem fusè tradidimus supra, Disp. 30. sect. tertâ, & sequentibus; Videantur ibi dicta.

tons ad peccandâ mortaliter vincit tentationem, gratia actum subsequens illum dignificat.

VIII.

Resp. Non negare nos omnem omnino gratiâ posteriorem actum dignificare, sed quæ illi datur per modum præmii.

SECTIO SEPTIMA.

De aliis conditionibus ad meritum requisitis.

PRIMA est ut actus sit liber; actus namque omnis meritorius est laudabilis, nullus autem actus non liber meretur laudem, ut ex ipso naturæ lumine constare videtur, & docet Aristoteles lib. 3. Ethicorum, cap. 9. unde ab omnibus rejiciuntur Nominales aliqui, contrarium asserentes. Imò ulterius, licet semiplena libertas sufficiat ad peccandum, non tamen ad merendum, plus enim ad meritum requiritur, quam ad demeritum. Quare, etsi per se loquendo, nullus dari actus possit inter bonum & malum indifferens, potest tamen inter meritum & demeritum, ad meritum siquidem requiri videtur, ut actus plenè & perfectè sit voluntarius, ratione perfectionis ad meritum requisitæ, quæ magis confirmabuntur ex sequentibus.

I.

Actus omnis meritorius debet esse liber.

Dari potest actus indifferens inter meritum & demeritum.

II.

Actus meritorius debet esse voluntarius.

III.

Rationes variae cur, licet peccatum interdum consistat in voluntate, actus tamen meritorius debet esse voluntarius.

IV.

Actus sit meritorius, debet esse usquequaque bonus, se habens

se habens cum opere bono, non impediatur meritum, quo forte sensu dicitur Deus Exodi 1. dedisse munera obstetricibus Aegypti, ob servatos pueros Hebraeorum, quamvis concomitanter sint mentita. Etiam si ulterius dicat Scriptura, Deum hoc fecisse, eò quòd timuerint Deum, si tamen actus ipse fuisset malus, nihil meruisset, cum talis actus simpliciter non sit laudabilis, nec placeat Deo, sed displiceat. Hinc Abacuc Propheta cap. 1. v. 13. de Deo dixit, *Mundi sunt oculi tui ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris.* Unde nec in Scripturâ, nec Conciliis promittitur unquam primum, nisi operibus bonis. Quare licet actus malus subinde mereri possit primum apud homines ratione utilitatis, ut si quis labore in vineâ alterius ut fornicetur, aut aliud hujusmodi, non tamen meretur primum apud Deum, utpote cui operationes hominum nihil adferunt utilitatis; apud quem proinde, in tantum solum merentur, in quantum ei sunt honorifica.

Quia de causa Deus obstetricibus Aegypti dedit munera.

Quamvis actus malus interdum mereatur primum apud homines, nunquam tamen apud Deum.

V.
Probabilis est omnem omnino actum supernaturalem in justo esse gratia & gloriae meritum.

Quaeres: quinam actus sint in justo meritorii gratia & gloria? Volunt aliqui solum actum charitatis esse meritorium, alii alios etiam actus, modò formaliter à charitate imperentur, & referantur in Deum, alii virtutalem solum ad hoc relationem requirunt. Probabilis mihi videtur omnem actum, saltem supernaturalem, in justo esse hoc modo meritorium. Ratio est quia ubique in Scripturâ, Conciliis, & Patribus, omnibus operibus bonis justorum promittitur merces gratia & gloria, seu vitae aeternae, nihilque in Scripturâ frequentius, quàm opera misericordiae mereri cœlum, ergo. Plura hac de re sectione sequente.

SECTIO OCTAVA.

Utrum actus meritorius debeat esse supernaturalis.

I.
Actus meritorius debet esse in essentia supernaturalis.

Ratio est, quia ad eum requiritur gratia excitans, qua semper est supernaturalis.

CONCLUSIO affirmativa? Ratio est: nam ut supra vidimus Disp. 113. sect. 10. & sequentibus, omnis actus meritorius, ut habemus ex Scripturâ & Conciliis, praesertim Tridentino, requirit gratiam excitantem, quae semper est supernaturalis, ut ostendimus, quod etiam testatur S. Paulus, & expressè docet Caelestinus Pontifex: quòd verò gratia excitans, semper esse debeat supernaturalis, probatur, aliòqui enim initium salutis à nobis esse posset, seu solis viribus naturae, quod tamen ubique negant Patres & Concilia: unde actus virtutum acquiruntur nudè sumpti non sunt propriè meritorii, sed extrinsecè tantum, & sicut actus externus, quando scilicet imperantur ab actu supernaturali interno.

II.
Cum iusti semper bene operentur ex fide, eliciunt actus supernaturales.

Dices primò: cum Vasquez 1. 2. d. 207. cap. 7. hinc sequi plurima ex operibus justorum esse infuosa. Respondetur negando sequelam; cum enim iusti plerumque ex Fide operentur, & habeant semper habitus infusos, seu gratiam adjuvantem paratam, operationes faciliè elicient supernaturales.

III.
Patres, dum peculiarem Dei influxum ad opera justorum meritoria semper requirunt, sententiam esse supernaturalem.

Dices secundò: Patres & Concilia, ut diximus, universim affirmant, omne opus bonum iusti esse meritorium gratia & gloriae, ergo non sola opera supernaturalia hoc habent. Respondetur, Concilia & Patres sufficienter se explicare, quòd loquantur de solis actibus supernaturalibus, dum in primis ad omne opus meritorium requirunt gratiam excitantem: deinde exigunt ut sit opus factum in Deo: tandem ut omnia opera

meritoria à peculiari Dei influxu proveniant: sic enim peculiariter loquitur Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 16. his verbis: *Cum enim ille ipse Christus Iesus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos jugiter virtutem infuset, qua virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possent.* Ergo juxta Concilium nullum opus esse potest meritorium, nisi ab hoc peculiari Christi influxu procedat.

Urgebis: per illum influxum intelligi posse gratiam habitualem. Contrà primò: gratia habitualis non jugiter infunditur, si propriè loquamur, sed semel tantum datur, Concilium autem jugem quandam influxum, sanctas scilicet inspirationes, & gratias prevenientes à Deo perpetuò immittas requirit. Contrà secundò: dicit Concilium jugem hunc influxum omnia bona opera debere antecedere, quòd proprium est gratiae prevenientis. Contrà tertio: Concilium docet jugem hunc influxum ad eum modum in opera bona provenire à Christo, quo caput influit in membra & vitis in palmites, quòd fit, spiritus quoddam novos vitales, vel nutrimentum perpetuò subministrando, quòd spiritualiter facit Christus, dum sanctas inspirationes tanquam spiritus quoddam vitales, ac spirituale nutrimentum jugiter nobis subministrat.

Dices tertio: omne opus malum est dignum poenae, ergo omne opus bonum iusti similiter est dignum premio, seu gratia & gloria. Sed contrà, secundum omnes plura requiruntur ad bonum quàm ad malum, ad meritum quàm ad demeritum; sic enim Deus puram omissionem punit poenâ aeternâ. Praeterea actus indeliberati puniuntur in inferno semper, simul cum peccato mortali, & tamen nec omisso pura, nec actus indeliberatus secundum adversarios meretur gratiam aut gloriam.

Dices quartò: dignitatem personae aliquid refundere in opera, utpote quae semper sunt gratiora ratione personae, à qua proveniunt; ergo opera etiam naturalia haurient inde aliquid dignitatis. Quòd magis urgere videtur in operibus Christi, quae omnia valoris sunt simpliciter infiniti. Respondetur eandem formam diversas frequenter tribuere denominationes, nos autem ut constat ex dictis, fundamentum maximum habemus dicendi actum naturalem non esse capacem dignitatis respectu gratiae & gloriae. Ad summum ergo dignificari opus hujusmodi potest in ordine ad premium aliquod naturale, non quidem fortasse, illud exigendo sine promissione seu pacto, sed solum lato illo modo supra sectione tertiâ conclusione 3. explicato. Ad illud de operibus Christi ait P. Hurtado d. 63. de Incarnatione, nullum opus naturale Christi meruisse premium supernaturale: unde etiam agens de operibus Christi asserit, omne opus illius, etiam naturale meruisse infinitum, seu infinita premia naturalia.

Licet ergo in Physicis res naturalis simul cum supernaturali possit producere effectum supernaturalem, hoc tamen non tenet in moralibus, in his quippe non valet à paritate rationis; sic enim in Physicis una res producta ab aliâ potest simul cum illâ ad effectum physicum concurrere, ut species cum intellectu vel oculo, quòd tamen, ut vidimus, non contingit in ordine ad meritum.

Dices quintò: gratia dignificat ipsum subjectum naturale, redditque gratum ac dignum gloriae, quidam

IV.
Ostenditur per jugem hunc influxum Christi in omnia opera meritoria, non posse nullam gratiam habitualem.

V.
Licet omnis actus malus sit dignus poena, non tamen omnis actus bonus sit dignus premio.

VI.
Opus naturale, ex dignitate personae dignificari potest ad majus premium naturale.

VII.
Haec in re nulla est paritas inter res naturales & physicas.

VIII.

quidam ergo dignificare similiter poterit actum naturalem. Respondetur gratiam, cum sit qualitas, respicere connaturaliter aliquod subiectum, in quo subiectetur, & cui effectum suum formalem tribuat: cum ergo implicet substantia supernaturalis, ut supra ostensum est Disp. II. hunc effectum tribuere necessario debet subiecto naturali, alioqui ordinaretur ad effectum formalem impossibilem. Quod verò sit differentia inter subiectum naturale & actus naturales, in ordine ad recipiendam hanc denominationem, patet, quia subiecto etiam non utenti ratione, seu extra statum libertatis posito, ut puero recens nato, vel homini dormienti aut amenti, si infundatur, tribuit denominationem digni gloriâ, hæredis Cæli &c. cum nihilominus actui, sive naturali sive etiam supernaturali, extra statum libertatis elicitio, non tribuat denominationem meritorii, vel digni gratiâ aut gloriâ, ut apud omnes est in confesso. De hac conditione supernaturalitatis quædam addentur infra sect. 12. num. septimo. Multo plenius hæc quæstio discussa est supra, Disp. 13. sect. 10. II. & duodecima.

Gratia, cum sit accidens, petit inesse alicui subiecto, & illi effectum suum formalem tribuere.

Ratio cur gratia dignificet subiectum, non actum naturalem.

SECTIO NONA.

Quenam cadant sub meritum: Vbi peculiariter de primâ gloriâ.

I. Hoc solum isthic inquirendum superest circa meritum, alia namque conditiones, quæ ad meritum à nonnullis exiguntur, nullo modo ad illud sunt necessaria: quod enim volunt aliqui certam actus intentionem ad meritum præmii essentialis requiri, omnino falsum est, cum Scriptura & Concilia omnibus universim operibus, modo conditiones supra dictas habeant, præmium vitæ æternæ promittant, nullamque peculiarem ad hoc exigant actus intentionem. Quâ etiam de causâ falsa est opinio Bannez dicentis actum remissum, mereri quidem præmium vitæ æternæ, non tamen novum, seu gloriæ augmentum, sed ut gloriâ, ad quam jam habet jus, fiat novo titulo debita: quæ sententia latè impugnari solet 2. 2. cum de augmento charitatis, ubi iterum de ea re dicitur sermo.

Rejicitur opinio Bannez, circa meritum actus remissum.

II. Deinde, licet continuatio actus ad majus meritum conducatur, cum per se loquendo, plus sit actum per diuturnum aliquod tempus continuare; ad meritum tamen simpliciter non est necessarium. Unde quantumvis brevi tempore quis actum aliquem cum conditionibus supra positis eliciat, etiam si per unicum tantum instans duret, actus ille erit meritorius; sic enim Angeli primo instanti quo creati sunt, convertentes se ad Deum meruerunt augmentum gratiæ juxta communem Theologorum sententiam, ergo ad meritum non requiritur aliqua actus continuatio.

III. Circa illa itaque, quæ sub meritum cadunt, certum imprimis est, bona opera, saltem supernaturalia, juxta dicta sect. præcedente, hominis justis esse condignè meritoria vitæ æternæ. Hoc sæpe insinuat in divinis literis: sic enim Matthæi 5. v. 12. ait Christus, Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Ad Romanos item 2. v. 7. dicit Apostolus: Reddet unicuique secundum opera ejus (id est merita) iis quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem.

R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

rem, & incorruptionem querunt, vitam æternam. Hoc etiam probat illud Jacobi 1. v. 12. Beatus vir qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.

Secunda Conclusio: nullus sibi primam gratiam mereri potest, vel de condigno, vel de congruo, opera liquidem naturalia ad hoc non sufficiunt, ut supra contra Pelagianos, & Semipelagianos ostensum est; per opera verò supernaturalia id fieri non potest, cum principium meriti cadere nequeat sub meritum: non est tamen cur quis alteri mereri primam gratiam nequeat. De merito tamen primæ gratiæ fusè dicitur sect. sequente.

Tertia Conclusio: probabilius videtur peccatorem non mereri de condigno primam gloriam, sed solum de congruo per actum contritionis: de hoc enim eodem modo philosophandum est, sicut de gratiâ habituali diximus sectione sextâ; licet enim illo instanti quo actum contritionis elicit, habeat pro aliquo posteriori gratiam, actus tamen ab eâ non dignificatur in ordine ad hujusmodi præmium, cum tota libertas actus ante infusionem gratiæ habitualis transferat; meritum autem actus spectari debet secundum id quod habet prout egreditur à voluntate, ut diximus loco proximè citato.

Objicies: Concilium Tridentinum sess. 6. can. 32. affirmare videtur hominem simpliciter mereri primam gloriam; sic enim habet: Si quis dixerit ipsam justificatum bonis operibus, que ab eo per Dei gratiam, & Iesu Christi Meritum, cujus vivum membrum est, sunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratiâ discesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema sit. Ubi consultò videtur Concilium non dixisse nostris operibus mereri nos gratiam, sed augmentum gratiæ, dixit tamen nos mereri vitam æternam & augmentum gloriæ, ergo significare videtur primam gloriam cadere sub meritum, non primam gratiam.

Dices: quivis gradus gloriæ est gloria, ergo ad verificanda verba Concilii sufficit quòd quemcumque gradum gloriæ mereatur, ad hoc ut simpliciter dicatur mereri gloriam. Contrâ: etiam quivis gradus gratiæ est gratia, & tamen secundum Concilium non meretur quis simpliciter gratiam, ergo. Dices secundò loqui ibi Concilium de merito de congruo. Contrâ, ergo & meretur primam gratiam habitualement, hanc enim per actum contritionis meretur de congruo, cum tamen non dicat Concilium mereri homines gratiam, sicut dicit de gloriâ, sed solum augmentum gratiæ.

Respondetur itaque, non loqui ibi Concilium de primo actu contritionis, sed de aliis justificationem subsequenteribus, cum opera illa vocet fructus justificationis, dicatque procedere à justificato, & vivo membro: per quemvis ergo actum ex iis, qui sequuntur post primum actum contritionis, meretur homo simpliciter gloriam, non tamen simpliciter gratiam, sed solum augmentum gratiæ; nullum enim gradum gratiæ de condigno mereri quis potest, nisi priùs habeat aliquem gradum gratiæ, ut supra ostendimus: at vero licet non haberet ullum gradum gloriæ posset nihilominus mereri aliquem illius gradum, cum gloria non sit de conceptu meriti, sicut gratia; quemadmodum etiam per secundum peccatum mortale ita meretur peccator damnationem æternam, ut si

IV. Nullus sibi mereri potest primam gratiam.

V. Peccator per actum Contritionis non meretur primam gloriam de condigno, sed tantum de congruo.

VI. Dices: Exmereri primam gloriam; sic enim habet: Si quis dixerit ipsam justificatum bonis operibus, que ab eo per Dei gratiam, & Iesu Christi Meritum, cujus vivum membrum est, sunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratiâ discesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema sit. Ubi consultò videtur Concilium non dixisse nostris operibus mereri nos gratiam, sed augmentum gratiæ, dixit tamen nos mereri vitam æternam & augmentum gloriæ, ergo significare videtur primam gloriam cadere sub meritum, non primam gratiam.

VII. Nec satisfacit quis dicendo quemvis gradum gloriæ esse gloriam.

VIII. Resp. Non loqui ibi Concilium de primo actu contritionis.

Res d. contrario declaratur per peccatum mortale.

aliunde non esset eâ dignus per primum peccatum, per hoc tamen esset. Concilium autem non dicit iustificatum mereri primum gradum gloriæ, sed gloriam, quod sufficienter hoc modo explicatur.

IX.
De merito iustis circa media sufficientia, & perseverantiam.

Quarta Conclusio: iustus cum ope Dei supernaturali mereri de condigno potest auxilia sufficientia, seu media necessaria ad perseverandum, ipsam tamen perseverantiam de facto non meretur de condigno, de congruo tamen illam mereri iustus posset; imò Tannerus & alii id posse iustum putant facere de condigno.

X.
Qui mereri potest finem, potest mereri media.

Quatuor partes habet Conclusio: prima quod scilicet possit iustus auxilia sufficientia mereri, probatur; qui enim mereri potest finem, nempe beatitudinem, potest mereri media ad illam consequendam requisita, nec deserit unquam Deus, nisi deseratur. Secunda pars constat ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 13. & can. 16. ubi definit perseverantiam esse speciale donum Dei, & iustum sine speciali revelatione certum de illâ esse non posse: quare iubentur omnes cum timore ac tremore salutem operari. Tertia pars Conclusionis probatur: tum quia in oratione dominicâ oramus pro perseverantia: tum quia in rebus quæ ad amicitiam conservationem pertinent, congruum videtur ut amicus amico consentiat, & ab eo postulata concedat. Quarta demum pars ostenditur; etsi enim merito exigentiæ opera bona non petant perseverantiam, at verò si peculiariter à Deo proponeretur, non est cur eam iustus tanquam præmium accidentale mereri non posset, sicut secundum omnes mereri potest remissionem peccatorum venialium.

Congruum est, ut in rebus ad amicitiam spectantibus amicus amico consentiat.

XI.
Bona temporalia, nisi aliquo modo ad finem supernaturalis referantur, sub nullo merito cadunt infallibiliter.

Quinta Conclusio: Bona temporalia sine ullâ relatione ad vitam æternam, seu finem supernaturalem, non cadunt sub merito de condigno vel congruo infallibiliter. Ratio est, quia hæc indiscriminatum tam malis quam bonis contingunt, imò frequentius malis. Sape nihilominus à Deo dantur bonis iuxta illud Psalmi 33. *Divites eguerunt, & esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Unde verisimile est ea frequenter de congruo, licet fallibiliter, & non certâ lege à Deo conferri.

SECTIO DECIMA.

Utrum prima gratia cadere possit sub meritum.

I.
Proposuitur status præsentis controversiæ.

QUOD aliis terminis proponi solet, utrum principium meriti cadat sub meritum: quod etsi sæpe hæcenus fieri non posse supposuerimus, & occasione datâ variis locis obiter sit ostensum, isthic nihilominus rem hanc paulò susius declarabimus. Quæstio verò procedit tam de gratiâ habituali, seu iustificante, quam de gratiâ efficienter & ad actum primum meritorium concurrente.

II.
Peccator per opera bona auxilio gratiæ exercitiâ gratiam habituale meretur de congruo.

Non autem quarimus circa gratiam habitualement, utrum opera quæ iustificationem præcedunt, eam mereantur de congruo, communis enim Theologorum sententia cum S. Thoma in 2. distinct. 27. q. unicâ, art. 4. & S. Bonaventura in 4. distinct. 15. par. 1. art. 1. q. 5. hoc affirmat, peccatorem scilicet bonis operibus ex auxilio supernaturali seu gratiâ factis, iustificationis gratiam de congruo mereri. Ita cum sanctis Doëtoribus citatis Ferrara 3. contra Gentes, cap. 149. sine: Suarez libro 12. de merito, cap. 37. Vasquez 1. 2. q. 218. cap. 2. Vega in Tridentinum lib. 8. cap. 8. & alii contra Medi-

nam 1. 2. q. 114. art. 5. & alios nonnullos ex recentioribus Thomistis. Ratio assertionis est, cum enim hæc opera sint bona & supernaturalia, sunt saltem de congruo meritoria gratiæ, cum ad meritum de congruo non requiratur æqualitas inter meritum & præmium: unde & intuitu horum operum cernimus Deum sæpe gratiam peccatoribus infundere. Quæstio est ergo de merito de condigno, seu utrum actus bonus supernaturalis ex gratiâ elicited mereri possit ipsam primam gratiam habitualement, per quam redditur meritorius de condigno.

Ratio cur hæc opera mereantur gratiam de congruo.

Conclusio: nullus vel primam gratiam habitualement de condigno, vel gratiam excitantem ad primum actum meritorium physicè concurrentem de congruo mereri potest. Ratio est, quia sequetur dari mutuam causalitatem, & idem primò producere seipsum, quorum neutrum fieri potest, vel divinitus, ut ostendi Disp. 19. & 21. Phycicorum, idque non in causis physicis magis verum est, quam in moralibus: sequela probatur, actus enim qui de condigno meretur primam gratiam habitualement, hanc condignitatem, partialiter saltem, accipit ab hac eadem gratiâ, ergo pro illo priori existit gratia, cum meritum condignum existere debeat ante præmium, ergo si hæc eadem gratia detur actui condigno pro præmio, producit moraliter seipsum, & insuper est antequam producat, cum non producat nisi intuitu hujus actus meritorii, siquæ effectus illius moralis. Deinde cum, ut dixi, sit effectus hujus actus ut meritorii de condigno, erit effectus moralis sui.

III.
Prima gratia nulla modo cadere potest sub meritum.

Sequitur gratiam esse antequam producat, & esse effectum sui.

Ad hoc duobus modis responderi potest: primò cum P. Suarez qui secundum distinctionem illam suam de intentione & executione ait meritum in intentione, seu à Deo intentum, posse esse causam sui in executione, seu movere Deum ad illud tanquam præmium sui à parte rei ponendum.

IV.
Prima Actus meritorii sententia respicitur.

Hunc procedendi modum, quem tamen Patri Suarez perquam familiarem esse animadverto, nunquam probare potui: nullus enim quidquam meretur ex eo quòd Deus intendat illi dare meritum; sed ad hoc ut moveat ad præmium, concipi debet ut existens extra omnes suas causas, & ut completè futurum, meritum autem solùm intentum non est futurum completè; nisi enim addatur executio, & medium ad illius productionem necessarium, nunquam existet à parte rei, ergo ad illius futuritatem aliquid aliud requiritur præter meram intentionem.

V.
Impugnatur distinctio meriti quod intentionem & executionem.

Dices: eo ipso quòd Deus intendat actum, intendit medium aliquod ad eum producendum necessarium, non tamen determinatum, sed indeterminatum, nempe hoc vel illud, sicque ex vi meriti hoc modo prævisi movetur ad illud à parte rei ponendum, & dandum per modum præmii, & hoc pacto meritum in intentione est causa sui in executione. Sed contrâ, redit namque eadem difficultas, meritum siquidem tantum indeterminatè intentum, seu ex hoc vel illo medio, non est adhuc completè futurum, nisi enim accedat alia voluntas hoc medium in particulari determinans, actus nunquam à parte rei ponetur, & consequenter hoc modo prævisus non videtur ut completè futurus. Sicut si quis intendat ire Romam hac vel illâ viâ, equo vel curru, &c. nisi viam & medium determinet, nunquam sequetur iter Romanum. Quare actus solummodo intentus, & hoc modo prævisus non existit sufficienter ad obtinendum præmium, multò minùs ut ipsemet actus detur in præmium sibi.

VI.
Medium indeterminatum perinde est ac nullum.

Vt actus sit futurus, necessaria est alia voluntas præter intentionem indeterminatam.

sibi. Actus ergo intentus movet solum per modum finis, non meriti, ut ostendi supra, Disputatione 40.

SECTIO UNDECIMA.

Uterius ostenditur primam gratiam cadere non posse sub meritum.

I. Impugnatus secundus modus, de merito gratia per opera cum subsequens.

Alius respondendi modus est, quem late impugnavi in materia de Incarnatione, dum quaeretur utrum Christus mereri potuerit unionem hypostaticam per opera eam subsequentia. Dicunt ergo aliqui, Deum dare alicui posse gratiam habitualement cum onere, ita nimirum ut pro ea postea solvat per opera bona supernaturalia ex hac ipsa gratia facta: ita P. Coninck Disp. 8. de actibus, num. 109. & alii nonnulli. Sed contra: etsi enim non negem posse Deum hoc modo gratiam alicui conferre, ut scilicet ea utatur, hoc nihilominus solum probat collationem illam gratiae esse onerosam, hominemque eam accipere cum obligatione bene postea operandi, haec tamen opera habent se per modum finis non meriti, ut jam ostendam.

II. Gratiam illam habitualement potest quis mereri de congruo, non de condigno.

Dico itaque eandem hic esse difficultatem quam proposui sect. praecedente, num. tertio: quare existimo posse hominem gratiam illam habitualement prius tempore datam mereri de congruo, non de condigno. Ratio primae partis est, quia gratia illa habitualis non est principium meriti de congruo, ad hoc namque sufficit quod actus sit bonus ac supernaturalis, aliasque istiusmodi meriti condiciones habeat, inter quas non est gratia habitualis, cum, ut sect. praecedente, num. 2. vidimus, communis Theologorum sententia cum S. Thoma affirmet, posse peccatorem operibus per auxilium supernaturale factis justificationis gratiam de congruo mereri? Quare intuitu huiusmodi operum ab habituali gratia independentium potest Deus hanc gratiam prius tempore, posterius naturam infundere, ut gratia antiquis Patribus datae contigit respectu meritorum Christi.

Gratia interdu prius tempore, posterius naturam infunditur.

III. Implicat de re gratiam intuitu operum naturam subsequens.

Secus, ut num. illo 3. dixi, res se habet in merito de condigno: cum enim actus condignitatem suam, partialiter saltem accipiat ab hac ipsa gratia, jam homo pro aliquo priori, non temporis tantum sed etiam naturae habet gratiam habitualement, ergo non potest illa esse effectus moralis huius actus ut est meritorius de condigno, cum pars huius condignitatis sit haec ipsa gratia, ut num. tertio, sectionis praecedentis fufius declaratum est. Opera ergo illa bona gratiam subsequentia non se habent per modum meriti respectu illius gratiae, sed per modum finis; gratia vero haec habet se instar cuiusdam medii ad illa exercenda ordinati. Conf. meritum, uni dictum est sect. praecedente, ad hoc ut moveat videri debet existens, ergo causa illius debet similiter existere, idque pro aliquo priori, cum causa semper sit naturae prior effectus, ergo implicat contradictionem ut causa huius, gratia scilicet haec habitualis, detur per modum effectus ac praemii huic actui ut meritorio de condigno, cum ipsa hoc meritum constituat, & in aliquo priori ad praemium videatur existens.

Meritum videri debet ut existens, ergo existere debet illius causa.

IV. Contradictionem involvit ut

Quod si quis confugiat ad voluntatem Dei indeterminatam, qua dicat volo dare hanc vel illam, sicque videndo actum ab aliqua gratia habituali

dignificatum movetur ad dandam hanc in particulari; hoc inquam si quis dicat, loquitur pugnantia, implicat enim ut actus dignificetur ab aliqua gratia indeterminata, sicut implicat ut res a parte rei existat per aliquam actionem indeterminatae, ut forma sit in aliquo subjecto, & sic de aliis, sed si homo habiturus sit gratiam est habiturus determinatam. Hanc solutionem fufius in simili rejeci sectione praecedente, num. sexto.

actus dignificetur ab aliqua gratia indeterminata.

Objicies: si ex revelatione divina sciret quisquam se cras a mortis periculo a Petro liberatum iri, poterit ei hodie ex gratitudine dare gladium in praemium meriti crastini, quo tamen gladio utendo Petrus cras eum ab hoc periculo liberet, ergo in hoc casu praemium est principium meriti. Respondetur, si is cui facta est haec revelatio, sibi persuadeat Petrum independentem ab hac gladii donatione rem illam per hunc ipsum gladium perfecturum, ita nimirum ut aliunde in eum incideret, & per eum sic habitum periculum averteret, dico inquam, posse eum gladium hunc Petro dare ut praemium meriti crastini. Hic ergo gladius, quando eo Petrus cras utitur, & avertit periculum, est verus Petri, non tamen illo utitur ut suo, sed ut aliunde habito, utpote in quem casu, aut alia ratione incidisset, plane ab hac donatione independente; haec enim donatio nullo modo in liberationem a periculo influit, sed est illa posterior, cum sit posterior revelatione, haec autem liberationem illam sequitur, & pro priori factam supponit.

V. Objic. potest quod hodie dare gladium in praemium, quo cras liberetur.

Petrus gladio illo, jam suo, periculum avertit, non tamen ut suo.

Dices: si huiusmodi revelatio nobis fieret, qui tenemus contrariam sententiam, & existimamus posse principium meriti cadere sub meritum, nos gladium illum Petro hodie daremus ut praemium meriti crastini, & intenderemus ut haec donatio in liberationem & meritum influeret: frustra ergo fatigant se advertarii, & suis speculationibus contendunt hoc fieri non posse. Ad hoc tamen dico, posse quidem aliquem ex falsa persuasionem hoc velle, re tamen vera, in hoc casu gladius ille ut donatus, seu ut Petri, non influeret in liberationem illam a periculo: unde affectu id, non effectu faceret, qui gladium sic donaret. Et ratio videtur clara: nam ut obiter in fine numeri praecedentis dixi, donatio supponit revelationem, haec autem revelatio non erat conditionata, nempe liberabit te si dederis ei gladium; sed absoluta, ergo ante revelationem erat absolute futura liberatio, ergo similiter ante revelationem erant media omnia ad hanc liberationem requisita, cum ut dixi causa semper sit naturae prior effectus.

VI. Nec qui contrariam sententiam sequitur, potest verum gladium dare ut praemium.

Liberatio supponit omnes suos causas a parte rei possim.

Eodem fere modo respondendum ad vulgare exemplum quod afferri solet de rege militi dante equum & arma intuitu meritorum quae his instructus postea habebit: item de vendente alicui vineam cum obligatione ut ex ejusdem vineae fructibus ei pretium postea persolvat, & similibus, quae in tractatu de Incarnatione fufius prosecutus sum, ubi haec de re necessario iterum redibit sermo. Ex dictis etiam constat primum auxilium, seu vocationem supernaturalem, sub nullo omnino merito peccatoris cadere posse.

VII. Idem fere est de Rege arma dante militi, & similibus.

SECTIO DUODECIMA.

Attexuntur quadam circa meritum de congruo.

I. Quid sper meritum de congruo intelligatur.

Quomodo differat à merito de congruo.

II. Dari meritum de congruo communis est Theologorum sententia.

III. Nullum ex Concilio Tridentino deducitur fundamentum negandi meritum de congruo.

IV. Communis itaque Theologorum consensus est, dari meritum de congruo, seu imperfectum, & cui citra vim negari potest primum.

V. Ad omnem meritum ut congruo non requiritur promissio.

MERITUM de congruo illud dicitur, quod quamvis æqualem cum præmio dignitatem ac valorem non habeat, illudque nullo modo ex iustitiâ mereatur, quod proinde non exigit, nullaque vis huic merito inferatur si ei præmium denegetur, congruum tamen est ut aliquid intuitu illius conferatur, & ex Dei liberalitate quædam sequatur remuneratio: & in eo differt à merito de condigno, hoc siquidem æqualitatem aliquam dicit cum præmio, & illud ita exigit, ut vis ei quædam inferatur, si præmium quod respicit, illi non conferatur. Hoc pulcherrimè expressit S. Thomas in 2. Distinct. 27. q. 1. art. 3. his verbis: *Dicitur aliquis mereri ex condigno, quando invenitur æqualitas inter præmium & meritum, secundum rectam estimationem: ex congruo autem tantum, quando talis æqualitas non invenitur, sed solum secundum liberalitatem dantis munus tribuitur, quod dantem decet.*

Porro dari huiusmodi meritum, indubitatum est: quamvis namque sub his terminis meriti de congruo, apud Patres non reperitur, reipsâ tamen in Patribus & Conciliis, præsertim Tridentino, non rarò invenitur. Hinc S. Augustinus fidem, ad quam tamen auxilium gratiæ requirit, non semel docet esse meritoriam justificationis: sic lib. de Prædestinatione Sanctorum, cap. 2. ait, *Neque ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides eam impetrat, &c.* Epistolâ etiam 106. *Si quis dicat, quod gratiam bene operando fides mereatur, negare non possumus: ergo juxta sanctum Doctorem datur meritum de congruo, ante gratiam quippe meritum de condigno non habetur. Quod etiam apud alios ex Patribus identidem reperitur.*

Neque obstat quod Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 8. dicat, nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fidem, sive opera, ipsam justificationis gratiam promereri: hoc inquam non obstat, solum enim hoc loco negat Concilium meritum de condigno, quod nimirum tale sit, ut impediatur quo minus dicamur justificari gratis; meritum autem de congruo, cum ut diximus, non sit meritum iustitiæ, sed tantum ex congruitate quadam & decentiâ, nec ei vis ulla inferatur, si præmium illius intuitu non detur, non impedit quo minus dicamur justificari gratis, qui eo loco fuit scopus Concilii.

Communis itaque Theologorum consensus est, dari meritum de congruo, seu imperfectum, & cui citra vim negari potest primum. Unde mirum est Sotum lib. secundo de Naturâ & gratiâ, cap. 4. se hac in parte Theologis omnibus opposuisse, & hoc meritum negasse. Nec quidquam impedit quo minus hoc meritum imperfectum, etiam in peccatoribus reperiat, cum congruum sit ut Deus operibus eorum supernaturalibus aliquid præmii loco conferat.

Dices: Deus nihil debere potest, nisi pactum aut promissio inter ipsum & operantem intercedat, si verò intercedat promissio, jam erit meritum de condigno, ergo nullum datur meritum de congruo. Respondetur negando majorem: opera enim supernaturalia hominis in gratiâ existentis, ut dixi supra, sectione tertiâ, conclusione secundâ, connaturaliter, & omni pacto secluso possunt præ-

mium. Quare sicut ignis petit calorem, aqua frigus, & sic de aliis, ita opera hæc supernaturalia petunt præmium. Deinde ad meritum de condigno aliqua requiritur æqualitas, quare licet intercedat promissio, si tamen summa sit inter meritum & præmium impropertio, opus illud non fortietur rationem meriti de condigno: unde quamvis Deus peccatori actum contritionis elicienti promiserit justificationem, non tamen hanc mereatur de condigno, sed tantum de congruo.

Quoad condiciones meriti de congruo eadem fere ad illud requiruntur, quas supra requiri diximus ad meritum de condigno. Actus itaque de congruo meritorius, esse debet bonus, liber, & positivus, eadem namque quoad hæc est ratio utriusque meriti.

Circa supernaturalitatem, sit necne ad rationem meriti necessaria: duplex præmii genus est considerandum, naturale & supernaturale. Si de supernaturali præmio loquamur, actus illius meritorius esse debet supernaturalis, ut supra ostendimus sectione octavâ & Disputatione 113. sectione decimâ, & sequentibus. Quoad præmium verò naturale potest opus bonum morale illud mereri, non de congruo tantum, sed etiam de condigno; naturale enim cum sit, nil vetat dari opus aliquod naturale, ei in dignitate, perfectione & valore non par tantum sed superius. Hinc plurimi ex Theologis affirmant (interveniente saltem pacto seu promissione divinâ) posse hominem in purâ naturâ constitutum, per bona opera moralia beatitudinem naturalem mereri de condigno. Ratio est: opera siquidem bona naturalia sunt ejusdem ordinis cum hac beatitudine, nec minore cum eâ habent proportionem, quam opera supernaturalia cum beatitudine supernaturali.

Status viz quo pacto ad meritum requiratur diximus supra sectione quintâ, ubi inter alia asseruimus Sanctos in Cælo, dum pro nobis orant, & quod petunt impetrant, mereri nobis de congruo. Hinc oritur difficultas, videtur namque eos eadem operâ mereri hæc similiter de condigno, oratio siquidem illa est supernaturalis, & in valore æqualis, imò superior auxiliis quæ mortalibus à Deo petunt & obtinent; ergo si hæc impetratio sit meritum de congruo, erit meritum de condigno. Unde Halensis, S. Bonaventura, Durandus & Gabriel affirmant respectu præmiorum accidentalium habere Sanctos in Cælo facultatem tum sibi tum aliis merendi de condigno: ac proinde statim viz hæc in parte eousque extendunt, dum vel ipsis beatis huiusmodi aliquid, vel aliis deest.

Respondetur nihilominus persistendo in communi sententiâ, Sanctos (idem est de animabus iustorum in purgatorio detentis) auxilia quæ nobis impetrant, non mereri de condigno, sed tantum de congruo. Ratio est: licet namque negari nequeat, quin opera ab ipsis exhibita sint auxiliis illis in valore & præstantiâ æqualia, hæc tamen eorum opera naturâ suâ ordinantur solummodo ad bona gratiæ proprio subiecto promerenda, nec aliter à Deo, nisi per modum impetrationis accipiuntur. Merentur tamen hæc de congruo, impetratio siquidem, ut supra, num. 2. ostendi, est meritum de congruo, juxta illud S. Augustini Epist. 105. supra allatum: *Nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat*; ait ergo sanctus Doctor impetrationem esse meritum.

Non semper etiam est meritum de condigno ubi intercedit promissio.

VI. Quæ conditiones ad meritum de congruo requiruntur.

VII. Præmium naturale requiritur supernaturali meriti.

VIII. Meritum naturale mereri de condigno potest primum naturale.

IX. Sancti in cælo aliis nonnulla de congruo merentur.

X. Cur beati auxilia nobis merentur de congruo, non de condigno.

Per actus

Actus supernaturales non merentur nisi premium aliquo modo supernaturali.

Per actus supernaturales juxta dicta superius, cum sint alterius ordinis, nec justis nec peccatores temporalia bona vel sibi vel aliis merentur, nisi quatenus ad beatitudinem aeternam obtinendam conducunt, quo sensu bona illa non amplius censentur naturalia. Per opera verò purè naturalia nil obstat quo minus bona merè naturalia mereri possint de congruo, juxta dicta sect. 9. sine. Imò existimo, posse justos, si bonis eorum operibus

naturalibus tanquam premium à Deo proponantur bona merè temporalia, existimo inquam posse eos bona illa mereri de condigno. Hic ergo tractatus de merito, totiusque primi tomi finis esto. Omnia verò quæ in eo continentur Sanctæ Romanæ Ecclesiæ censuræ ac judicio submitto, Utinam ad Dei Optimi Maximi, gratiæ & meriti, bonorumque omnium fontis honorem cedant.

FINIS TOMI PRIMI.



INDEX

INDEX

1. In nomine domini Amen. Hic incipit...
2. In nomine domini Amen. Hic incipit...
3. In nomine domini Amen. Hic incipit...
4. In nomine domini Amen. Hic incipit...
5. In nomine domini Amen. Hic incipit...
6. In nomine domini Amen. Hic incipit...
7. In nomine domini Amen. Hic incipit...
8. In nomine domini Amen. Hic incipit...
9. In nomine domini Amen. Hic incipit...
10. In nomine domini Amen. Hic incipit...

INDEX



INDEX